



Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>





140780-B

130. B. 336.
FRANCISCI CAROLI CONRADI,
PHIL. ET I. V. D.

ORATIO

DE

IVRISPRVDENTIA REGVLARI
ROMANORVM,

ET DE

VETERVM IVRISCONSVLTORVM STVDIIS
CIRCA REGVLAS IVRIS,

DICTA SOLENNITER


IN ACADEMIA VITEMBERGENSI

A. D. V. ID. AVG. A. c. 15 15CC XXVIII.

QVVM

PROFESSIONEM PVBLICAM
DE VERBORVM SIGNIFICATIONE
ET REGVLIS IVRIS

AVSPICARETVR.



VITEMBERGAE,
EX OFFICINA VIDVAE GERDESIAE.

FRANCISCVS DVARENVS

in epistola de ratione docendi discendique Iuris,
Operum pag. 1104.

*Ex hoc studio præceptionum quarundam & theorematum
uniuersalium, quibus ad iudicandum ex bono & æquo
de singulis negotiis præparemur & informemur, cogni-
tio speranda est. Nam singularia, quia infinita sunt,
sub nullam artem, aut præceptionem, cadunt.*





FRANCISCI CAROLI CONRADI
DE
IVRISPRVDENTIA REGVLARI ROMANORVM
ET DE
VETERVM IVRISCONSVLTORVM STVDIIS
, CIRCA REGVLAS IVRIS
ORATIO AVSPICALIS.

RECTOR ACADEMIAE
MAGNIFICE,

PATRES ACADEMIAE CONSCRIPTI
ADSCRIPTIQVE,
VIRI MAGNIFICI, IELVSTRES, GENEROSIS-
SIMI, EXCELLENTISSIMI, AMPLISSIMI,
SVMME REVERENDI, CONSVLTISSIMI,
EXPERTISSIMI, CLARISSIMIQVE,
AVDITORES OMNIVM ORDINVM ATQVE
DIGNITATVM HONORATISSIMI,
ET VOS, GENEROSISSIMI AC NOBILISSIMI
ACADEMIAE CIVES, IN PATRIAE PAREN-
TVMQVE SPEM ET EXPECTATIONEM
GENITI, FLORENTISSIMI
COMMILITONES.

Quod bene feliciterque vertat, quodque
perillustri huic ad Albim Academiae,
& mihi, faustum, fortunatum ac salutare
esse iubeat DEVS T. O. M. Iuris publi-
ce docendi prouinciam hodierna die capesso ac susci-
pio,

pio, auctoritate nutuque REGIS AC DOMINI MEI LONGE CLEMENTISSIMI ad Vos Musasque Vestras nuper euocatus. AVE itaque, ALMA LEUCOREA, Virtutis & Honoris Mater: salve, puriorum sacrorum sancta Parens, iterumque mihi salve, Legum & Iustitiæ incluta Nutrix. Auete, PATRES CONSCRIPTI: saluete, FLORENTISSIMI COMMILITONES, in primis qui Iurisprudentiæ studiis vosmet deuouistis. Auete omnes, quotquot mihi verba facturo adesse uoluistis, AUDITORES ORNATISSIMI, & saluete plurimum. Neque enim melius dicendi initium factururus, non alio noui muneris auspiciū lætiori omine aggressurus mihi videor, quam religiosa ista, & pia, & obseruanti Vestrum consalutatione. Non alia mihi prior, nulla potior iam cura versat pectus, quam qua ratione demereri mihi que conciliare valeam Vestrum fauorem, Vestramque beneuolentiam, quibus mihi, quemadmodum ad omnem muneris, quod in eo, functionem & progressum, ita cum maxime in ipsis primordiis, summe opus esse, intelligo. Quamobrem agite, AUDITORES, idque primum Vestræ in me humanitatis, sed insignis, monumentum extare sinite, hoc propensæ in me voluntatis primum, ad bene sperandum, mihi signum edite, ut mentes mihi atque aures placidas præbeatis, sine omni verborum pompa vllisque eloquentiæ luminibus dicturo. Hoc Vos magnopere & obnixè rogans, vereor diutius morari Vestram, quam mihi iam annuere videmini, beneuolentiam, Vestramque de argumento, quod selegerim, expectationem: quod quemadmodum longius non arcessendum esse duxi, quum ipsa, quam ordior, Iuris professio publi-

ca id suppeditaret: ita me tanto facilius exordio sermonis verbosiore, quo mihi ad dicendum viam præpararem, subleuari sentio. Nemo de arte sua loquentem dedignatur artificem: nemo damnat agricolam, rus & aratra dicentem: nemo militem ægre fert, castra & prælia enumerantem: nemo nauitæ succenset, de prora puppique sermocinanti: nemo Patronum improbat, lites clientum forique negotia referentem; nemo Medicum, herbas & opobalsama commemorantem: Vos quoque mihi, *de Iurisprudencia Romana, antiquitus in regulas redacta, & de veterum Iurisconsultorum circa regulas Iuris ciuilibus summo studio*, pro splendida hac & frequentissima concione peroraturus, vel propter ipsum regulas Iuris interpretandi officium, humeris meis impositum, haud difficulter procliuè iudicium & benignam auscultationem commodabitur.

Iam desierat Populus Quirini iure incerto & consuetudine magis, quam per latam legem iusque constitutum agere, quod prope sexaginta annis passus fuerat *a)*: iamque scriptæ ex inclutis Solonis legibus & aliarum Græciæ ciuitatum institutis, moribus iuribusque, & comitiis maximis perlatae leges Decemuirales, quibus Tabulis duodecim est nomen, incisæ & publico in ære præfixæ, medio foro legebantur *b)*: iam ab incunabulis pueri ediscebant eas & memoriæ mandabant, tanquam carmen necessarium *c)*: quum, his legibus latis, euenit naturaliter, vt Prudentum interpretatio desideraretur, ac necessaria esset disputatio fori *d)* Quod de Solone scripsit PLVTAR-

A 2

CHVS,

a) L. 2. §. 3. D. de Orig. Iur.

b) LIVIUS, Lib. III. cap. 31. & cap. 58.

c) CICERO, de Legib. II. cap. 4. & 23.

d) L. 2. §. 5. D. de Or. Iur.

CHVS, e) eum simpliciter nimis ac generatim concessisse leges, & sic per multas in sensu ambages iudicum auctoritatem stabiliuisse, ad quos, veluti legum dominos, omnes pæne controuersia deferendæ essent: id Romæ Decemviri efficere cogitarunt, qui, dum breui & concinna legum scriptura placerent ciuibus, ad se interpretationem pertinere, & pleraque in iuris administratione sibi reseruare cupiebant; modo diuturnior fuisset ipsorum Magistratus, nec immane ab libidine & crudelitate nefas eundem exitum Decemviralium imperio, quem olim manui Regiæ, mox attulisset. Abrogatis Decemviris, pristina Reipublicæ forma instaurata, æqualitate ciuium per Leges Valerias Horatias, maximum libertatis præsidium, restituta & in posterum quoque munita, principes tamen ciuitatis semper in possessione ac velut in patrimonio suo retinuerunt cognitionem iuris atque interpretationem f): neque inde a latis tabularum legibus quisquam interpretis sustinuit munus, nemo sensum legum vsunque demonstrauit, qui non antea vel iudex, vel magistratus, aut eximia dignitate præditus esset. *Ego memini, summos fuisse in ciuitate nostra viros, qui ius interpretari populo & respondere soliti sunt: inquit TVLLIUS. g)* Quod enim idem legum interpretes iudices aliquando dicit h): - id cogitare nos iubet, potissimam iuris cognitionem in foro quærendam, & e tabellis iudicum plenissimam Decemviralium tabularum intelligentiam hauriri debuisse: neque rationem, leges, vel in se perspicuas satis verbisque minime perplexas, accommodandi

e) *In Solone, p. 88.*

f) *CIC. de Offic. II. cap. 19.*

g) *CIC. de Legib. I. cap. 4.*

h) *Pro Cluentio, cap. 53.*

dandi ad facta, promptam alii magis fuisse, quam qui forense luce inclaruisset. Illud vero tanto magis conueniebat veteri illi, militari adhuc, neque literis exactæ, Republicæ: quum fontes quidem & semina omnis publici priuatique iuris de lare Solonis, Lycurgi & præstantissimorum quorumuis Sapientum accessissent Romani; nullam autem artem iuris, nullam philosophiæ disciplinam haberent, neque usum legum & rationem aliter, quam a forense experientia nanciscerentur. Tales erant veteres illi post leges XII. tabularum Iurisprudentes, quorum in familiis quasi erat ars & scientia interpretandi easdem, ac de iure consulentibus responsa edendi; quorum domus erant totius Oracula ciuitatis: i) ad quorum ianuas & vestibula maxima quotidie ciuium & clientum frequentia confluebat eorum, qui iuris legumque vim edoceri, causæque naturam intelligere, & quibus sibi remediis utendum, quæ vitanda, quæ agenda forent, nosse cupiebant. Ad hos deducebantur nobiles & Patritii iuuenes, patrii iuris notitia imbuendi, k) non aliud huius studii siue præsidium, siue initium secum afferentes, præterquam tabularum illud, quod edidicissent, carmen. Iam uero, in Prudentum, quos sectabantur, atriis, diligenter & attente iura respondentibus auscultabant: neque enim illi ad docendum profitendumue ius civile aliquod temporis seposuerunt, l) una potius eademque opera & clientibus, & legum cupidis iuuenibus prodesse satis habentes. Nulla tum præcepta iuris, nulla disciplina, nulli tum canones generales breui complexu edebantur iuris studiosis: quibus tunc
potius

i) CIC. de Orat. 1. cap. 45.

k) CIC. in Lal. cap. 1. & de offic. II. cap. 13.

l) L. 2. §. 35. D. de Or. Iur.

potius receptæ ex interpretatione sententiæ, vsuque communi probatæ, tantum memoria defigendæ, & infinita factorum innumerabilium, hominum atque decisionum cognitio multo auditionis, longo annorum tædio comparanda erat.

Cogitate ipsi, Vos. POLITISSIMI COMMILITONES, quam difficilis, quam molesta, quam misera atque illiberalis hæc fuerit ad iuris scientiam perueniendi via, qua proficere aliter non licebat, quam, vt singula negotia, singulas actuum formas, in quibus rerum natura & tritura fori, ceu Africa quædam vel India, noui semper aliquid produceret, &, quid de singulis quotidie responsum esset, memoria comprehenderent, ei profecto non absimiles, quem LVCIANVS *m)* refert, in maris littore sedentem, conatum singulas vndas pernumerare, donec vndas vndis trudentibus obrueretur, animi anxius, quod eas numero amplecti non posset. Adeo veteres illi Iurisperiti non nisi in facto per mille diuersas rerum ac negotiorum species iura & interpretationem legum proponebant; adeo nouas quotidie ac diuersas factorum casuumque formas definiebant; adeo immensam illam horridamque quæstionum ac decisionum siluam late proferebant; adeo, quemadmodum CICERO ait, *n) quod positum erat in vna conditione, id in infinita dispersiebantur.*

Nemo Vestrum ignorat, interpretationem Prudentum minime in legum explicatione, iurisque applicatione ad facta, substituisse; verum plura addidisse legibus, quæ iisdem haud continebantur, eandem tamen haberent rationem & æquitatem, quum hæc in paribus

m) In Hermitimo.

n) De Legib. II. cap. 19.

paribus causis paria desideraret iura : o) atque in tantum fines interpretationis supergressam esse Prudentum auctoritatem, vt legislationis speciem indueret. Ab hac Iurisconsultorum auctoritate, quæ semel populo placuerat, accedente longo vsu fori, consuetudine & more ciuitatis, tanquam tacito suffragio, venit illud a tabulis legibusque distinctum, quodque proprio nomine appellatur, IVS CIVILE; p) illud ius, vti passim dicitur in libris Iuris nostri, *consensu receptum*, q) *per manus traditum*, r) *commentitium*, s) hoc est, ex commentatione Prudentum ortum; illa Iuris Civilis species, quæ ab Imperatore Iustiniano *media* vocatur *Iurisprudentia*, quæ erat quidem *lege XII. tabularum iunior*, *Imperiali autem dispositione anterior*. t) Plura ex hoc fonte Iuris capita & positiones prodierunt; inter quæ eminent fere vsucapio rerum incorporalium, u) acquisitio per adrogationem, x) legitima patronorum tutela, y) substitutio pupillaris, z) &, quæ I. A. C. C. VIACIO a) ex Lege Glicia esse videbatur, de inofficioso testamento querela. Ista aliaque longe plurima

B

noscen-

o) CIC. Topicor. cap. 4.

p) L. 2. §. 5. D. de Or. Iur.

q) Pr. I. de acquisit. per adrogat.

r) L. 10. D. de iur. codicil.

s) L. 20. D. de pæn.

t) §. 3. I. de legit. agnat. success.

u) CIC. pro Cacin. cap. 20.

x) Pr. I. de acquisit. per adrogat.

y) Tit. I. de legit. Patron. tutel.

z) Pr. I. de pupill. substit.

a) Lib. II. Observat. cap. 21. & Lib. XVII. cap. 17. Vid. V. A. IO. GOTTL. HEINECCI Antiquit. Iur. cast. sec. Lib. II. t. 17. §. 5.

noscenda & addiscenda apud Iurisconsultos erant horum studiosis, non certe compendiosa institutione ac præceptis, verum vsu multorumque annorum opera quam consulentibus & iura reddentibus infumerent, eorumque folijs & lateribus adhaerent. Quamvis enim ex illa forensi disputatione atque interpretatione vere ducant originem regulæ Iuris, quibus, quæ legibus XII. tabularum vel adiecissent, vel ademissent, vel quibus earum vsum declarassent Prudentum sententiæ, postea fuerunt inclusa atque in breue coacta: non tamen hanc operam, quæ summæ difficultatis & artis erat, statim nauasse credendi sunt antiquiores: qui potius materiam regularum suis decisionibus ac responsis inuenerunt, quam istas breues sententiarum in foro receptarum complexiones. Quamvis etiam vetustissima sit, qua nullius celebrior extat memoria in Iure Ciuili, regula Catoniana, b) quæ M. Porcio Catoni, M. Catonis Censorii filio, auctori suo, immature mortis fatum immortalis nominis fama pensauit; c) atque iam illa ætate vsitatum regularum artificium, sensimque plures regulæ, Catonianæ similes, inuentæ concinnatæque esse videantur: parum tamen adhuc subleuarunt eadem studia Iuris Ciuilis, quum vagæ, nulloque descriptæ volumine, circumferrentur in foro, iactarentur in domibus Iurisconsultorum.

Enimvero, postquam ille, quem Ennius celebravit, d)

Egre-

b) L. 41. §. 2. D. de legat. 1. L. 13. pr. D. de opt. leg. L. 86. D. de cond. & dem. Tit. D. de reg. Caton.

c) L. 2. §. 38. D. de Or. Iur. LIV. epit. Libr. XLIIII.

d) CIC. de Orat. l. cap. 45.

Egregie cordatus homo, Catus Aelius Sextus,
 in Tripertitis suis, veluti cunabula iuris, & præter
 legem XII. tabularum, huius interpretationem pro-
 posuerat; e) ac postquam triumviri isti, Publ. Mucius,
 & Brutus, & Mamilius, ille decem, iste septem, hic
 tribus libellis editis fundare cœperant Ius Ciuile: f)
 primus rei, cuius nemo antea, periculum fecit Q.
 Mucius Scæuola, Publ. fil. Pontif. Max. generatim in
 libros decem & octo redigendo, quæ priorum libel-
 lis dispersa, nec plene tradita fuissent: sed, quod
 mihi præcipue commemorandum est, libro singulari,
 quem inscripsit ΟΡΩΝ, id est, *Sententiarum* atque
Definitionum, primus omnium regulas ex Iure in fœro
 receptas collegit: quo ex antiquissimo corpore qua-
 tuor hodiernum regulæ g) in Digestis extant. Quare is
 merito celebratur apud POMPONIUM, tanquam qui
 primus constituerit Ius Ciuile; h) mihiq; merito
 laudandus est, tanquam qui primus fundauit Iuris-
 prudentiam regularem, & qui primus exemplo suo
 præiuit Iurisconsultis, atque intentissimum illud studi-
 um, illam in regulis Iuris colligendis, digerendis,
 tradendis, illustrandis summam diligentiam excitauit.
 Hæ Mucio vere debentur laudes: quamuis plenior
 Seruium Sulpicium, Iurisconsultorum principem,
 manserit gloria, quocum, propter admirabilem & incredi-
 bilem eius ac prope diuinam in legibus interpretandis scien-
 tiam, omnes ex omni ætate, qui in Romana ciuitate intel-
 ligen-

B 2

e) L. 2. §. 38. D. de Or. Iur.

f) Ead. L. 2. §. 39. & §. 41.

g) L. 64. D. de acqu. rer. dom. L. 8. D. de aqu. quot. & aff.
L. 241. D. de Verb. Sign. L. 73. D. de Reg. Iur.

h) L. 2. §. 41. D. de Or. Iur.

ligentiam iuris habuissent, si unum in locum conferrentur, non esse comparandos, TULLIVS iudicabat: i) cuius alio loco instituta inter Scæuolam & Seruium elegantissima comparatio ipsis Oratoris verbis tota hic repetenda est. Sic enim, inquit, k) existimo, Iuris Ciuilis magnum usum & apud Scæuolam, & apud multos fuisse, artem in hoc vno: quod nunquam effecisset ipsius Iuris scientia, nisi eam præterea didicisset artem, quæ doceret rem distribuere in partes, latentem explicare definiendo, obscuram explanare interpretando, ambigua primum videre, dein distinguere, postremo habere regulam, qua vera & falsa iudicarentur, & quæ, quibus propositis, essent, quæ non essent, consequentia. Hic enim attulit hanc artem omnium artium maximam, quasi lucem, ad ea, quæ confuse ab aliis aut respondebantur, aut agebantur: sed adiunxit etiam & literarum scientiam, & loquendi elegantiam, quæ ex scriptis eius, quorum similia nulla sunt, facillime perspicitur potest. Iam vero felicius, & in plena literarum luce, Romæ ista ætate agebatur, inde ab auspiciatissimo illo sæculo, quo sapientiæ studia & meliorum artium disciplinæ circa tempus belli Punici secundi, e Græcia Romam aduentarant. Iam postquam illi e porticu Philosophi, & primus inter hos Pænætius, scholas in Vrbe publicas aperuerant, hosque audiuerant Lælii, Scipiones, Rutilii, Tuberones, l) alique principes iuventutis; tantam Stoica Philosophia ceperat auctoritatem, adeoque primas obtinuerat apud Romanos, vt

i) Philipp. IX. cap. 5.

k) in Brut. cap. 47.

l) CIC. de Offic. 1. cap. 26. & in Brut. cap. 30. GELL. Lib. I. Noct. Att. cap. 22. L. 2. §. 40. D. de Or. iur. V. C. EV. OTTO, orat. de Stoica Veterum Iuriscons. Philosophia.

vt non alius sectæ doctrina imbuerentur Iuris studiosi, non aliam Iurisprudentes in respondendo, interpretando, disputando, mox etiam in docendo, profiterentur, neque aliam magis posteris temporibus in placitis, definitionibus, sententiis ac libris suis prætulerint. Summus vero ille Iuris Antistes, & vere Iurisprudentiæ pater, Seruius, postquam totum se Iuris patrii studiis consecrauerat, tanta Stoicæ doctrinæ cupiditate, tanto amore totus ardebat, vt, instituta celebri illa peregrinatione, Rhodum accederet, ibique ad Posidonium, Panætii discipulum, se vna cum Cicerone, Cæsare, Bruto, Torquato aliisque applicaret. *m)* Hic itaque primus Ius Ciuile in formam artis & scientiam disciplinabilem redegit: hic infinitas Iuris quæstiones in pauca genera, hæc in membra quædam digessit, omniaque cum definitionibus accurate complexus est, tum certis regulis inclusit, & quid quaque de re iuris esset, declarauit, vt quæcunque noua causa consultatione obueneret, a quo capite eius ius repetendum foret, statim appareret. Meminimus, immortale hoc eius beneficium, Iurisprudentiæ præstitum, ab Oratore ad illam artem artium maximam, Dialecticam scilicet, referri: hanc quum ad Ius Ciuile attulisset, ac præterea in Stoica schola *n)* breuium, quæ ad manus haberentur, præceptorum didicisset vsum, quin ei plane adsueuisset, ipse tandem, felicior adhuc Scæuola, regularum artifex, ipse verus auctor extitit Iurisprudentiæ istius, quam supra vocaui, regularis.

Esse enim commune illud & præcipuum veterum

B 3

rum

m) CIC. in Bruto, cap. 41.

n) LAERT. in Zenon. ARRIAN. Lib. 1. cap. 20. in Epictet.

rum Iurisconsultorum, tradendi regulas, quæ Ius breuiter enarrarent, studium, haud sectus, ac diligentiam circa proprietatem verborum, ab imitatione Stoicorum profectum, pridem admōnuit æternum Galliæ suæ decus, EMVNDVS MERILLIVS, præstantissimis suis Obseruationum libris: o) & satis superque idem loquuntur, quæ nobis reliqua sunt e Iuris Auctorum scriptis, eos se omnino præstitisse in tradendo Iure Ciuili tales, Chrysippum qualem SENECA p) commemorat. *Chrysippus, inquit, penes quem subtile illud acumen est, & in imam penetrans veritatem, qui rei agenda causa loquitur, & verbis non ultra, quam satis est ad intellectum, visur.* Neque tamen putabit quisquam, Veteres cæca Stoicorum æmulatione hoc studium sectatos, ceu Philosophorum imitatores, seruum pecus, dum illas Iuris Ciuilis, in foro recepti, sed scripto nondum comprehensi, regulas & positiones summa breuitate concinnare laborarunt. Ipsa breuitatis quædam commendatio naturalis, & quæ præcipua est, omnium consensu, virtus in præceptis, ipsa indoles axiomatum, aphorismorum & regularum, hunc morem iniungebant. Definitio debet esse *rei propositæ dilucida & breuiter comprehensa verbis enuntiatio*, auctore QVINTILIANO: q) breuitatem inter tres narrationis dotes primo loco ponit Auctor Rhetoricorum ad Herennium, r) vt quæ *paucis comprehensa multarum habeat rerum expeditionem*: s) breuitatem in aphorismis

o) Lib. I. cap. 10. & Lib. V. cap. 34.

p) De benefic. I. cap. 3.

q) LIB. VII. cap. 3.

r) LIB. I. cap. 9.

s) Lib. IV. cap. 54.

Iuris laudat GALENVS : §) neque vero decebat aliter præcepta illa generalia, communes notiones, definitiones, narrationes, aphorismos & regulas Iuris, illa ad rem quamque Iurisque, in foro veluti per infinita vagantis, quæstionem resoluendam, decidendam apta subsidia, informari, quibus & iudicium æqui bonique notitia imbuere ac dirigere, & memoriam studiorum adminiculari volebant Iurisprudentes. Magnæ vero & graues erant illis causæ, quare concipiendis tradendisque regulis tanta cura, sollicitudine, tanta cum arte sese omnemque operam demum adiungerent ? maxima nimirum difficultas ac pæne desperatio, legum interpretationem & mediam illam Iurisprudentiam, quæ in dies immensa caperet augmenta, ex sola factorum casuumque decisione addiscendi : maximum deinde regularum compendium, in quæstionibus Iuris promte resoluendis, in iudicando ac respondendo, vtne semper ad primam legum interpretationem, ac Iuris sine scripto venientis occasionem & originem in singulis recurrendum foret : denique illud earundem commodum, quod & respondentibus, & iudicantibus, & agentibus, præter memoriam rei breuem, legitima quasi verba & formulas ministrarent.

Habent quæuis meliores artes ac disciplinæ suas positiones, quibus earum principia continentur, sua, quibus, quid vnaquaque de re ad disciplinam spectante sentiendum sit, elici ac secundum ea diiudicari debet, axiomata : habent suos aphorismos, quibus artis scientia per enuntiationes breues & sententias enar-

§) In Aphorism. Hippocrat. Comm. I. aph. 1.

narratur. Quapropter nec scientiæ juris Ciuilis, quod utique debet esse finitum, *u)* nostræque arti æqui & boni inuidendæ sunt regulæ suæ, *que*, definiente PLAVTIO, *x)* *rem, quæque est, breuiter enarrant, &*, quod PAVLVS adiicit, *breuem rerum narrationem, quidque in singulis iuris sit, tradunt*: quas propterea *cause coniectiõni* assimilabat SABINVS; quod, quemadmodum hæc est *cause & questionis in breue & quasi compendium coactio*, *y)* ita illæ cuiusque rei, litis, iuris, constitutionis, decisionis breuem summamque complexionem absoluunt. Neque mirum sit, crescentē iam in dies atque sublime ad fastigium exurgentē, quam Mucii & Seruius fundauerant, Iurisprudentia, profecisse quoque simul regularum studium, ut quibus augusta hæc ædes & arx Iustitiæ, veluti basibus & columnis suis, sustineretur; iamque non acceptas solum a prioribus regulas continuo transmissas ad successores, sed etiam nouas inuentas subinde atque concinnatas esse a Iurisconsultis. Equidem vidimus regularum & Iurisprudentiæ regularis in illa media Iurisprudentia natales & in Prudentum interpretatione atque disputatione forensi: nec istis, quæ leges XII. tabularum & Principum legislationem intercedebant, temporibus fere aliud Ius complectebantur regulæ Iurisconsultorum, quam Ius in supplementum XII. tabularum a Prudentibus tacito populi suffragio & vsu introductum, Prætorisque Edictis magis magisque confirmatum: quid? quod idem ista ætate regu-

u) L. 2. D. de iur. & facti ignor.

x) L. 1. D. de Reg. Iur.

y) ASCON. in CIC. pag. 76.

regularum apud Romanos usus fuisse videtur, qualis quondam apud vetustissimos maiores nostros carminum, quibus, unico memoriae genere ac subsidio, *z*) ut rerum gestarum summas, sic mores patrios iuraque, quae sine scripto inter ipsos usu obtinebant, custodiuerunt: unde nobis parœmiarum & sententiarum iuris, numero haud exiguarum, ad hunc diem supersunt. Verum enimvero præter hasce regulas, ex iure in forum iam olim recepto collectas, manentes, per manusque traditas, coepit oriri & alterum genus regularum, quod maxime pertinet ad Iurisprudentiam iuniorem, earum scilicet, quae cuiuscunque tandem iuris speciei, Legum, Edictorum, *a*) Sctorum, *b*) Principalium Constitutionum, *c*) breuem summam conficiunt & enarrant: quod, quae restant e libris Regularum, satis euincunt superque: ut frustra sit IAC. RAEVARDVS, *d*) elegantis aliquin ingenii & doctrinae Iurisconsultus, regulas Iuris restringens ad ea, quae fori disputatione & consensu Iurisprudentum recepta essent, quotiescunque grauis & perplexa Iuris quaestio incideret, fori disputationem institutam, ac Iurisconsultos congregatos fuisse, opinatus, quorum publica & communi decisione deinceps regulae Iuris extitissent. Frustra est porro, quod idem Vir doctissimus in definitione regulae PLAVTIANA ita supplendum existimauit:

C

Regula

z) TACIT. de morib. Germ. cap. 2.

a) L. 9. D. de hered. petit.

b) L. 38. D. de iniur. L. 4. §. 1. D. ad Leg. Iul. Mai. L. 14. §. 1. D. ad Leg. Iul. de adult.

c) L. 28. L. 103. D. de reg. Iur.

d) De auctorit. Prudent. cap. 14. & Comment. de diu. reg. Iur. ad L. 1. D. de R. I.

*Regula est, quæ rem definitam breuiter enarrat: ac similiter definitionem proxime sequentia verba: non ex regula Ius sumatur, sed ex Iure, quod est, regula fiat; explicauit subintelligendo: ex Iure, quod est definitum. Nemo etiam, qui hanc regularum indolem, has species nouerit, ut opinor, erit tam suauius, ut regulas somniet ipsum Ius, vel certam atque singularem Iuris speciem constituisse, ac fuisse adeo inter fontes ciuiliſ prudentiæ, e quibus Ius hauriendum esset; quum ipsæ sumerentur atque concinnarentur e vario Iure, quod breuiter definirent. Quod enim eadem positiones Iuris generales & breues, quæ & *sententiarum* nomine veniunt, exemplo regulæ Catonianæ, e) & quæ proprie dicuntur *Regulæ Iuris*, ab Architectis desumpto vocabulo, ut per regulam intelligatur generalis quædam norma, ad quam, quid in quaque Iuris quæstione ac difficultate proposita rectum, æquum ac verum sit, exploretur, & sic regulæ nomen eadem translatione adhibeatur, qua utimur, quum legem *iusti iniustique regulam* vocamus; quod, inquam, eadem regulæ Iuris frequentissime *definitionum* nomine indicantur apud Iurisconsultos, ac veteres *definiuisse* dicuntur, f) quod est in regulis Iuris: id definitionem Prudentum, solenniter & auctoritate ipsorum factam, minime significare putandum est. Quin ea loquendi ratio potius accepta est a metatoribus & dimensoribus agrorum, qui decempedis latifundia definiunt: & sic regulæ nostræ hac appellatione designantur, tanquam sententiæ & positiones, quibus latissimos Iurisprudentiæ campos ac fines emetiuntur,*

e) L. 80. D. de cond. & dem.

f) L. 96. D. de solution.

tur, &, quod per infinita dispersum est, in vñum definitum reuocant Iurisconsulti. Hoc enim intellectu regula Catoniana *definitio* appellatur **C E L S O**, g) & Mucii sententia, quæ refertur in Digestis inter regulas Iuris antiqui, *definitionis* nomine indigetatur ab **V L P I A N O** h): sic ipse *regulariter definit*, & Iulianum *regulariter definitientem* citat i). **V L P I A N V S**: sic & Imperator **I V S T I N I A N V S** *veteres regulas & antiquas definitiones* k) coniunxit; alibi, l) *regulariter veteribus definita*, dixit regulas Iuris: denique hoc sensu **Q. Mucii liber** **ΟΡΩΝ** & **Papiniani libri duo Definitionum** inscripti fuerunt. Nemini non ex his dilucet, fuisse regulas in subsidium Iuris scientiæ ac prudentiæ legalis excogitatas, usurpatas; in respondendo, consulendo, decidendo atque iudicando adhibitas; & sic longo, frequenti, perpetuo constantique usu per manus traditas, magnæ cura cum in foro versantibus, tum Iuri addiscendo operam dantibus inculcatas, temporumque successu & declaratas magis, & magno numero adauctas.

Tanta vero ex hac regularum antiquitate, tanta ex earum cultura vsuque constantissimo, tanta e veterum circa illas studio ac solitudine provenit auctoritas & præstantia, vt Iurisconsulti, passim regulas in sententiam suam aduocantes, placitisque suis eas, ceu firmamenta, supponentes, hac re solerent esse

C 2

g) L. 1. D. de reg. Caton.

h) L. 73. §. 2. D. de reg. Iur. L. 1. §. 5. D. quod, vi aus clam.

i) L. 9. D. de hered. petit. L. 25. §. 5. D. de usufr.

k) L. 4. C. de verbor. signif.

l) L. 2. §. 8. C. de vet. Iur. enucl.

esse contenti : &, quamvis rationes regularum minime contemnerent, attamen regulis, vti erant ab initio prolatae, insistentes, aliquando rationes earundem ignorasse haud erubescerent, *m*) fere Grammaticorum more, de quibus *DIOMEDES*: *n*) *Auctoritas tantum opinione secundum veterum lectionem recepta, nec ipsorum tamen, si id interrogentur, cur id secuti sint, scientium.* Hinc illud *IULIANI*: *o*) *Non omnium, quae a maioribus constituta sunt, rationem reddi posse*: hinc illud eiusdem *p*) : *Multa iure Civili contra rationem disputandi recepta esse.* Quod si tamen es, qui fungos, aut stipites propterea fuisse credas veteres, regulis hoc nimium fiduciae, hoc nimium auctoritatis tribuentes: noli praecipere ire iudicio inciui, priusquam iuris volumina diligentius excusseris. Haec te admonebunt, vti que de rationibus regularum serio cogitasse & inquisivisse iurisconsultos, *q*) tum maxime, quum de aptandis iis ad causarum decisionem essent solliciti *r*) , aut, quum ea subnotarent, quod fecerunt diligenter, in quibus regulae iuris perderent officium suum. *s*) Quin prudenter illos affectasse aliquando laudabilem ignorantiam, dixerim, ideoque rationes eorum, quae re-

ce-

m) *vid. IAC. CUIAC. Lib. XVII. Observat. cap. 15.*

n) *Lib. 11.*

o) *L. 20. D. de Legib.*

p) *L. 51. §. 2. D. ad Leg. Aquil.*

q) *L. 10. D. de iur. codicill.*

r) *L. 17. D. quando dies legator. L. 1. §. 16. D. de acquir. vel am. poss. L. 11. D. de Servitut.*

s) *L. 11. D. pro emt. L. 95. §. 3. D. de solution. L. 2. D. de iniust. rupt. irr. testam. L. 11. D. qui testam. fac. L. 9. D. de iur. & fact. ignor.*

cepta & per manus tradita fuissent, inquire noluisse, ne multa ex his, quæ certa essent, subuerterentur. 1) Quare vetustiores mediæ Iurisprudentiæ & Iuris sine scripto venientis regulæ proprie sunt, quas illi, ex æquitate petitas, & ex Iure, tacitis populi Romani suffragiis constituto, in generalem sententiam conceptas, ab omnibus probatas, ratas in primis sanctasque habuerunt, quod eas tam æquas iustasque, & sapientes, & in publicum vtilis esse perspexissent, ut ipsæ pro rationibus Iuris merito valerent: unde est, quod regulam Iuris & Ius regulare ipsam *Iuris rationem* dicere amarunt, u) & , qua PAVLVS locutione vtitur, x) *tenorem rationis*. Atque hæc regulis insistentis & contenta Iurisprudentia propria maxime facta est Sabinianorum, imitantium principem suum, Ateium Capitonem, qui, ut POMPONIVS de ipso testatur, y) *in his, quæ ei tradita fuerant, perseverabat*: quum e contrario alterius scholæ sectatores, ab Antistio Labeone edocti, qui, *ingenii qualitate & doctrinæ fiducia, plurima innovare studuerat*, regulis antiquis nollent inhærescere, & ab iisdem sæpius tacerent discessum. z) Multa hinc & frequens de regularum interpretatione inter utramque scholam disputatio, multi dissensus a): quos tamen & secuti post Edicti perpetui tempora

C 3

ra

1) L. 21. D. de Legib.

u) L. 14. § 15. D. de Legib. L. 141. D. de reg. Iur.

x) L. 16. D. de Legib.

y) L. 2. §. 47. D. de Or. Iur.

z) EM. MERILLIKS, *Observat. Libr. I. cap. 3. & Libr. V. cap. 34.*

a) L. 20. § 21. C. de furt. L. ult. C. de hered. inst. L. ult. C. de acquir. vel ret. pess.

ra Miscelliones ad mediam sententiam reducere laborarunt, non sine ipsa regularum ac definitionum antiquarum ope *b)*, & quibus demum placandis ita studuit Imperator IUSTINIANVS, ut secundum veteres regulas & antiquas definitiones in plerisque vetustatis iura manere vellet incorrupta. *c)* Imo vero tam propenso studio Sacratissimus idem Princeps noster animatus fuit in Iurisprudentiam regularem, adeoque cordi habuit regulas Iuris, ut earum adhuc spicilegium aliquod & racemationem, post ingentem Pandectarum messem & vindemiam, fecerit illo titulo, quo velut vnum in manipulum lancemque saturam *regulas diuersas Iuris antiqui congerendas, nobisque exhibendas curauit, veterum exemplo Iuris Auctorum. d)*

Reliquerat Mucius, quod antea prædicauit, primum regularum corpus : ad hoc ipsum vero Pomponius annotauit, & regularum ipse composuit librum singularem. Secuti hanc diligentiam, integra regularum volumina ediderunt, Neratius Priscus libros quindecim, Ceruidius Scæuola quatuor, Caius vnum, Marcianus quinque, Modestinus decem, Licinius Rufinus duodecim, Ulpianus, & plane similiter Paulus, septem, atque singularem vnum : nemo denique Auctorum Iuris, quorum libris utimur, cum insigni laude in fundo Iuris Ciuilis colendo versatus est, qui non vel regulas ab ante-

b) L. ult. C. per quas pers. nob. acqu. L. 25. §. 6. D. de usufr. L. 7. §. 1. D. de stipul. seru.

c) L. 4. C. de verb. signif.

d) Const. Tanta. §. 8. de Confirm. Digest. L. 2. §. 8. C. de vet. Iur. enucl.

anterioribus traditas firmauerit, vel exemplis illustrauerit, vel vitia subnotauerit, vel nouas aliquando concinnauerit propositiones vniuersales & arti iuris egregie inseruientes. Quo studio, fallor? an emittit inter reliquos, sui certe sæculi, Caius meus, cuius regularum librum singularem modo laudauimus, insignis iuris præceptor, & qui præcipue in aureis Institutionum Rerumque Quotidianarum libris, tam eleganti, tam concinna methodo, quam nemo alius, fundamenta iuris Ciuilis adeo luculenter complexus est, vt nulla non ætate in deliciis plane fuerit habitus, vtque libri eius studiosis iuris vocè magistra in scholis præsertim explicarentur, e) nec alium inter veteres reperiret Sacratissimus Imperator, quem magis suum faceret, atque ex quo suos Institutionum libros, elementa totius legitimæ scientiæ, potius hauriret? Neque vero mihi filendus est, excelsi vir ingenii, iurisconsultorum Coryphæus, Papinianus, maximus regularum architectus: cuius summam sapientiam & peritiam tot, tamque absolutas, tam æquas nobis regulas tulisse, quam vix vllius antiqui iurisconsulti, venerandus parens Artis nostræ, CVIACIUS, f) proficitur; & cuius quæstiones ac responsa non solum tot præclaris generalibus enuntiatis sunt refertissima; sed cuius etiam propria eiusmodi regularum promtuarum, libros intelligo Definitionum, adhuc in fragmentis colimus & admiramur.

Atque hæc me iam omnia ducunt ad laudem Iurisprudentiæ, regulis insistentis, ipsarumque iuris

re-

e) *Const. Omnem. §. 1. de Concept. Digest.*

f) *Ad l. 38. D. de pact.*

regularum celebrandam, regularum, inquam, quæ veterem iurisprudentiam fundarunt, quibus & hodierna superstructa est, & sustinetur; quæ summam Artis boni & æqui in se complectuntur; ex quibus sic consequuntur cetera, vt non iudicium illæ solum acuant, ac memoriam subleuent, verum & plenissima iuris cognitione animum imbuant, plurimumque conferant ad promptam iuris in speciebus & factis obuientibus applicationem illationemque. Hæ Lydium nobis porrigunt lapidem, & ad rem quamque iurisque quæstionem resoluendam, decidendam iusta subsidia præstant: hæ normas præbent, secundum quas de vero, æquo & iusto sentiendum & iudicandum est; e quibus omne rectum in Arte nostra pendet.

In fabrica si falsa est regula prima,

Omnia mendose fieri atque obstipa, necesse est. g)

Quo tandem eloquentiore, aut digniore præconio exornem regulas iuris, quam ista, qua felicissimus earum vindex & interpret, immortalis gloriæ iurisconsultus, neque sui tantum sæculi ornamentum, IAC. GOTHOFREDVS, h) vsus est, ipsarum elegantissima per similitudines plures, ac veluti per imagines, collaudatione? *Sunt hæc scilicet, ait, vere iuris fundamenta, quibus uniuersum iuris fastigium innititur: sunt fontes, e quibus veluti per canales & riuulos ius educitur: sunt semina, quæ, procedente proficienteque iudicio vsuque, in ramos sese postea quam latissime diffundunt & explicant: sunt scintille, quibus mens ubique collustratur: sunt penora conditaque &*

g) LVCRET. Lib. IV. v. 518.

h) In Præfat. Commentarii præstantissimi in tit. D. de reg. iur.

thesauri, e quibus propositarum questionum decisiones desumi debent: sunt claves, quibus adyta Juris referantur: sunt denique cymosurae, in vastissimo Juris oceano nauigantibus propositae. Quae cum ita liquido sint, pergite Vir summus, cuinam, quaeso, haec regulae viles ac prope contemnendae videri possint? Leuesne etiam putabimus, quae tot vigiliis, tam assidua fori trivura, tam operose in arctum tandem artemque coniectae iam olim a summis Jurisconsultis fuerunt? Leuesne, quae affabre factae concinnataeque auctoribus suis egregiam famam peperere; quod vel in regulae Catoniana cernere est? Vilesne, in quibus colligendis vel explicandis tam sedulam certatim operam maximi quondam nominis Jurisconsulti impendere? Papinianus ipse, summi ingenii Vir; qui ea re totius Juris instar quoddam exhibere se crediderunt. Leuesne putabimus, in quibus explicandis applicandisque tam graues olim inter veteres Jurisconsultos & interpretes controuersiae enatae sunt: quos tandem etiam decisionibus Imperialibus componi oportuit? Leuesne, e quibus suas in grauissimis questionibus constitutiones Imperatores eduxerunt, denique in his probe explicandis operam impendere non piguit? Leuesne, quae nullam non ferme Juris questionem, vel pro ratione dubitandi, vel pro ratione decidendi, subintrant? Leuesne tandem, quae summi hodie nominis Jurisconsultos adhuc exercitos habent, super genuina earum lectione menteque?

Quapropter tanta regularum Juris dignitate, quam & illi ipsi, qui literarum atque interioris Jurisprudenteriae studia defugiunt, tamen agnouerunt iampridem, bonum Regulistam, bonum Iuristam, ore barbaro dictitantes; tanta regularum commendatione, cui & ipsi pragmatici assurgunt, eum fundatam habere intentionem, pronuntiantes, qui se fundat in regula; & standum esse regulae, donec diuersum probetur; item iudicis esse, in pronuntiando sequi regulam, exceptione non probata; & quae sunt similes his, quas in medium attuli, sententiae: tanta tamque multiplici regularum Juris

præstantia excitati nos, FLORENTISSIMI COMMILITONES, erigamus animos ad earum studium, idque demus operam, ut verum ipsarum intellectum usumque, rectis & legitimis subsidiis instructi, nobis comparemus, atque contendamus ad Iurisprudentiam regularem, cuius ope veram artem & scientiam boni & æqui, & solidam assequi datur Iurisprudentiam. Non repetemus regularum interpretationem a perbeata Accursii familia, non a Bulgari ore aureo, non a Martini copia legali, non a Placentini supercilio, non a Baldi acumine, non a Decii subtilitate, non denique ab illis regularum, exceptionum, fallentiarum, limitationum, ampliacionum centonibus, qui retundunt ingenia potius atque onerant, quam subleuant atque exacuunt. Melior iam nobis viuatur ætas, qua in dies lætius efflorescunt bonæ literæ Artis nostræ, ac fere ad aureum fastigium educta est illa sanctior Iurisprudentia. Intelligamus hæc bona nostra, nosque ad eius studia toti componamus, ne, quod acerbum e nomine Ioannis Roberti, obtrektoris sui, quondam eliciebat IAC. CUIACIUS 1): Sero, eum dicens, *in orbe natum*; id in nos forte dicterium cadat; ut sero videamur in orbe nati, superiorum retro sæculorum nebulis & squaloribus, quam huius æui luce atque elegantia digniores. Quapropter utendum nobis est rectis & liberalibus meliorum literarum, quæ ab humanitate dicuntur, Philosophiæ, ac præsertim doctrinæ moralis & ciuilibus, historiæ & antiquitatum, cum Romanarum, tum patriarum subsidiis instrumentisque: quorum de arctissima & necessaria cum Iurisprudentiæ studiis coniunctione Vos iam persuasi estis certius, quam ut eius rei molienda mihi sit quædam demonstratio.

Quin tandem id ago, vt iussu atque auctoritate SERENISSIMI POTENTISSIMIQUE POLONIARVM REGIS ET ELECTORIS SAXONIAE, FRIDERICI AVGVSTI, PRINCIPIS AC DOMINI MEI LONGE CLEMENTISSIMI, Vobis me in regia ad Iurisprudentiam via ducem commitemque offeram & adiungam, enixe Vos rogans atque obtestans, vt de me ita profus existimetis, Vobis, Vestris studiis, Vestris desideriis, Vestris commodis, nihil mihi prius, nihil iucundius futurum. Hoc erit mihi negotium, hoc otium, hic labor, hæc quies : in his vigilia, in his etiam somnus reponetur. Adeste modo alacres, o MEI, meque frequentia & assiduitate Vestra in dies magis accendite, excitate ; meum Vobis inseruendi studium iuuate, augete, promouete, cum maxime in publicis, quas propediem, DEO iuuante, auspicabor lectionibus : in quibus id dabo operam, vt cum verborum ac nominum Artis nostræ, in Iure tam Romano, quam Germanico obuientium, origines, significationes, vim, potestatem vsunque, tum vero regulas Iuris, non quidem illas solum, quæ titulo Pandectarum extremo continentur, sed quascunque per libros Iuris dispersas, neque tantum regulas Iuris recepti, verum etiam patrii, apta methodo explicem, earumque in foro applicationem Vobis commonstrem. Hanc enim mihi industriam imperat muneris, mihi clementissime demandati, ratio. Quod Regium atque insigne beneficium vt deuotissimis veneror prædicoque gratiis, atque sempiternum concelebrabo : ita DEVM T. O. M. humillima mentis religione supplex precor, vt tam propitium tamque munificum Musarum in Saxonia Statorem ac Nutritorem, AVGVSTVM, PATRIAE PATREM, Saluum, Feli-

cem, Victorem, Longæuum Saxonix præset; vtque PRINCEPEM REGIVM, vna cum SERENISSIMA CELSISSIMAQVE EIVS & CONIVGE, & SOBOLE, Saluos, Felices, nobis, & nepotibus, & pronepotibus nostris seruet; Saxonicos seruetque Lares patriosque Penates.

Quod reliquum est, ad Vos me conuerto, OMNIVM FACVLTATVM ET CVIVSCVNQVE DOCTRINÆ PROFESSORES LONGE CELEBERRIMI, Patroni atque Fautores Honoratissimi, plurimumque exulto ac fortunæ meæ gaudeo, quod Incluto atque Amplissimo Ordini Vestro adscribi mihi contigerit. Teque in primis, ILLVSTRIS de WERNHER, quem propter singularia in rem publicam, in Iurisprudentiam, in bonas literas merita, & propter humanitatem summam, iampridem suspexi coluique; TE igitur, Iurisconsultorum & Antecessorum in hac Academia Præside Amplissimo, vehementer lætor, Tuumque patrociniū, quod propius iam colere in posterum ac demereri licet, impense mihi gratulor. Vos autem omnes ac singulos, P. C. qua par est obseruantia & humanitate rogo, vt me procliui ac lubenti animo accipiatis, vtque faueatis meo proposito meisque studiis, ac Vestro favore, Vestra beneuolentia me perpetuo complecti velitis: quam felicitatem si a Vobis impetrauero, nil erit, quod a Vobis amplius optem. Ego reverentiæ atque honori Vestro sic semper inseruiam, vt erga Vos omnes & cultus, & amicitix, & officii mihi constet ratio. FAXIT DEVS IMMORTALIS, vt saluos Vos fortunatosque, vtque florentem semper videam Almam hanc Vniuersitatem, &, quod initio orationis meæ precabar, vt nouum hoc, quod exorsus sum, munus & Academix, & mihi bene, feliciter prospereque eueniat.

Osterreichische



+217



Digitized by Google

